

Zf
126



Q.1



Q. K. 9

Z 8
126

ORATIUNCULA

FRIDERICI TAUBMANI,
POETÆ ET PHILOLOGI INCOM-
parabilis, clarissimi Germaniæ Luminis
MEMORIÆ

habita VVittebergæ

a. d. xx. APRILIS, ANNO CHRISTIA-
NO M. DC. XIII.

d

M. ERASMO SCHMIDT,
Græc. Prof. & p. t. Facult. Philos.
Decano.

Cui adjecta etiam aliquot Epicedia.

I 6



I 3

VVITTEBERGÆ, ex Officina Iohannis Gormanni.

M. And. wifot. Andr. f. f. f.
10





BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



DRO cuius valetudine & vita, in nupera panegyri philosophica, preces ex hoc ipso loco ad Deum trinum me præeunte misistis, brevibus quidem verbis conceptas, sed affectu ardentissimas; de eo ipso piè defuncto verba jam facere debeo. Sed quis ille? Ominari quidem, imò scire vos ipsi per vos ipsos potestis, quem velim. FRIDERICUM TAUBMANUM intelligo. Ah Taubmanum, Collegam ut nuper appellavi charissimum, nunc verò desideratissimum. O Taubmanum. At quem Virum? Quem quidem vos, Auditores ordinum omnium, novistis optimè, & amâstis intimè: Exteri verò admirantur maximè. De hoc Viro verba ego nunc facere debeo. Debeo, inquam, partim privatim, quia conjunctissima nostra amicitia, quæ cum aliunde, tum ex Turela meis præstitâ satis innotuit, hoc officium jure suo sibi postulat: partim publicè, quia non planè nulli fuerunt, qui affectu erga Taubmanum optimo, hanc provinciam mihi hoc tempore Decanatu fungenti, nomine Facultatis Philosophicæ in hac Academia, cujus ille membrum nobilissimum fuit, delegandam haud obscure innuerunt. At quæ in me vis ingenij est? quæ eloquentia in me balbutiente? qui tanti Viri laudes decantandas in me suscipiam? qui coram Musis omnibus, in pulla veste assidentibus, & Vindice suo dignum quid expectantibus, os aperire audeam? Velim equidem

A 2

Facile enim agnosco, quicquid hic dixerò, non hic tantum, sed & alibi, ubicunque nimirum Taubmani nomen Famâ duce percrebuit, judicatum iri. Sed dicam tamen, cum privatæ amicitiae officium præsturus, tum voluntari aliquorum utcunque satisfacturus, tum optimo affectu iudicioque candido aliorum gavisurus. Voluit sanè Alexander Magnus, terrarum ille Monarcha, à nemine nisi ab Apelle pingi. Cur non & Taubmanus, rei literariæ (absit verbo invidia) facile Monarcha, à nemine præterquam à Demosthene vel Cicerone aliquo laudari velit? Sed ignoscite, ô Taubmaniani manes doctissimi, mihi ab eloquentia Demosthenica vel Tulliana minimè instructo, & tamen hoc ipsum aggredienti. Pieratem potius in vos respicite meam, quam ineomptas sermonis mei periodos. Similiter autem & vos statuite, Auditores æquissimi, à me nunc pietatis potius in Collegam & Amicum desideratissimum, quam ostentationis; querelæ potius de amisso bono publico, quam eloquentiæ, quam in me fateor esse nullam; doloris potius acerbissimi de præmature obitu tanti Viri, quam ingenii sive veri sive affectati partes esse susceptas.

Si proinde expectationi vestræ, Rector Magnificæ, Viri Reverendi, Consultissimi, Excellentissimi, Clarissimi, Prudentissimi, Humanissimi, tuque Iuvenum lectissimorum corona nobilissima, quibus universis & singulis pro affectu erga Taubmanum, præsentia hac honorificentissima comprobato, gratias ago officiosas, ex assensu non respondero; tantum saltem veniæ mihi nunc largiamini obsecro, quantum & pio dolori & pio affectui largiendum putatis. Si verborum ornatu placere non poterò, uti non poterò; saltem res non planè ingra-

brevitate cavebo. Vos modò faventes ausculteris
rogo.

Sed unde nunc dicendi initium faciam? Tantus se-
se aperit campus laudum Taubmanianarum, ut unde
incipiendum, ubi desinendum sit, propè non videam.
Puto autè idem mihi faciendū esse, quod *αιθολόγοι* facti-
tant, qui non totum campum demetunt, sed ex eò il-
la tantum, quæ corollæ concinnandæ sufficere videntur,
reliquis omissis, seligunt, & ita alijs ad idem studium sa-
tis superque materiæ relinquunt. Seligam ergo & ego,
quæ mihi putabo esse commodissima, reliqua propè infi-
nita alijs commemoranda relicturus. Et in his quidem
cum observabo ordinem, qui communiter observari so-
let, nec fortassè non debet, ut à prioribus ad posteriora,
salva tamen libertate res ordinandi, progrediar.

Natus ergò fuit noster FRIDERICUS TAUBMA-
NUS anno computationis Christianæ, ut literis publi-
cis testatum accepimus, M. D. LXV. die incertum an
XV^o. n^o verò, quo baptisate initiatum annales Eccle-
siastici testantur, XVI^o. Maij, in oppidulo Franconia
VVonfessio. Quod oppidulum etsi exile & obscurioris
famæ semper fuit; ita tamen hoc filio suo Taubmano
crevit & inclaruit, ut multis alijs celeberrimis etiam ur-
bibus palmam præripere possit. Non fuit dedecus Ulyf-
si sapientissimo, in Ithaca aspera; non Poëtarum Græ-
corum suavissimo Hesiodo, Ascra; non Philosophorū
Coryphæo Aristoteli, Stagira; non Ciceroni Oratorum
Romanorum Principi, Arpini; non Catoni Censorio,
Tusculi; nō Philippo Melanchthoni Germaniæ lumini,
Bretta; non alijs alibi in lucem prodijisse. Quid Taub-
mani claritati detraheret, VVonfesium habere patriā?
Imò potius ut Ulysses Ithacam, Hesiodus Ascram, Ari-
stoteles

Philippus Brettam : ita & Taubmanus V Vonsefium
nobiliteravit; ut quamvis asperæ fortassè sint; tamen pro-
pter dictos viros ἀγαθαὶ κερτορέσοι audiant. Et ut alti-
ùs rem repetam, Non fuit CHRISTO Servatori igno-
miniosum in vico contemptissimo Bethlehem nasci, ut
potiùs propter hujus nativitatem Bethlehema nequa-
quam minima æstimanda à Spiritu Sancto pronuncie-
tur. Quid ergo dedecoris esset Taubmano, natum fu-
isse in vico obscuro? Iussit DEUS ex Tenebris Lucem
illucescere. An propterea Lux est minoris precij? Ius-
sit DEUS ex Nihilo produci omnia corpora; ex Puncto,
omnem Magnitudinem; ex Unitate omnem Nume-
rum. Imò semper DEUS ex parvis & Mundo despe-
ctis initiis, summa quæque producit. Et semper lau-
dabilius Civis patriam, quàm Patria civem honestat.
Neque tam Locus virum, quàm Vir locum ornat.

Illud verò semper pio gratoque affectu agnovit
noster Taubmanus; se non inter Turcas aut Gentes
ἀβασ, sed in eo cœtu, ubi IESU CHRISTI Salvato-
ris totius Mundi nomen pro caractere habetur, natum,
& per sacrosanctum regenerationis lavacrum Ecclesiæ
Dei insitum fuisse: cujus ut vivum membrum æternùm
maneret, precibus assiduis à Deo contendit.

Patriæ commemorationi succedunt Parentes.
Ex ijs natus fuit honestissimis. Patrem habuit Mar-
cum Taubmanum, virum quidem literis non imbu-
tum, sed opificem manuarium; honoratum tamen,
& pro ratione vici illius Consulem: Matrem Bar-
baram Hoffmanianam, quæ Marco Taubmano de-
functo, re ita exigente, ad secunda vota transijt, nu-
pta alteri honesto viro, qui naturâ quidem Virricus,
affe-

affectu tamen animoque Pater, Taubmanum nostrum, quanquam in re tenui, studiorum culturae destinavit; & sanè, ut eventus docuit, fato felici. Gloriantur, qui gloriari possunt aut volunt, de antiquitate stematum. Neque enim est quod vitio illis vertatur, si Maiorum vestigiis insistentes, avitam dignitatem sartam tectamque conservent. At quid faciunt aliud, præterquam id, quod à Maioribus factitatum est? imò quid potius sæpè nō faciunt? Illis gloria potior ad omnem memoriam debetur, qui Novi homines exstiterunt, & ex humiliore loco ad celsiora fastigia ascenderunt. Nihil prodest Titio vel Caio ex claro loco prodiisse, nisi virtute propria eundem tueatur. Sic & nihil cuiquā obest, obscuros natales habuisse, si modò virtute nomen sibi posterisque pepererit immortale. Imò quanto ignominiosior censendus est, qui Maiorum virtutem splendidam vitiiis obscurat: tanto nobiliori fama beandus est, qui maiorum virtutem, vel paupertate, vel humilitate generis, vel utraque, pressam aut saltem tectam, sua gravitate in apricum producit, & posteris aliisque exemplum illustre sese constituit. Quod Taubmanus noster abundè fecit.

Idem autem Vitricus defunctam Barbaram Hofmannianam, aliam uxorem duxit, Taubmanoque nostro Novercam superinduxit, sed minimè tamen iniustam aut iniquam. Quippe quæ non alio quam materno affectu semper eum fuit, ut proprium filium prosecuta, ut sæpius illam Novercæ *εὐσεβίας*, raro exemplo ab ipso de prædicari audivimus. Neque collocavit sanè suum illa affectum malè. Taubmanus enim pro pietate sua non modo gratam semper Novercæ huius æquissimæ *εὐσεβίας* memoriam retinuit, sed & *θεωρησίαις* redditis *αὐτι-*

πελαγ-

πελαργεῖν studuit. Quicquid enim δωρημάτων pro Testi-
monijs, Intimationibus, & id genus alijs accepit; par-
tem ejus maximam quotannis Novercæ misit, ejusque
in senio indigentiam luculenta ope sublevavit. Cele-
bratur Æneas, qui Anchisen patrem ex ignibus Troi-
anis eripuit. Celebrantur Catanenses fratres, qui Pa-
rentes ex Ætnæo incendio humeris suis exportârunt.
Nec immeritò. At hi præsentibus & γνησίους
semel subvenerunt. Noster Taubmanus absens, ex lon-
go intervallo, non Matris propriæ, sed Novercæ senium,
non semel, sed per aliquot annos, quamdiu illa vixit,
ex paupertatis incendio exporravit. Exemplum pro-
fectò rarum, hoc præsertim ævo, quò Novercarum er-
ga Privignos, Privignorum erga Vitricos vel Novercas
affectus nõ admodum laudandus, nimium vulgaris est.
Sed quò rarius hoc Taubmanianæ pietatis exemplum
est: eò luculentius eam DEUS præmijs etiam hujus
vitæ, & rei familiaris incremento recompensavit. Est
enim præceptum divinum de honore Parentum, & qui
eorum loco sunt, primum, cui DEUS specialem pro-
missionem annexuit: cujus etiam nunquam non solet
esse memor.

Fratrem habuit unicum, Fabianum Taubmanum,
quem jam ante octodecim annos hic cum nostro fuisse
meminimus, hominem, ut apparebat, prisca & germa-
na simplicitate atque ingenuitate; cujus filium Iohan-
nem Taubmanum, Serenissimi Saxoniae Electoris mu-
nificentia speciali, Illustris schola Misnensis hodiè alit.
Sororem item comperimus ei fuisse unicam, ex qua ne-
potem Taubmani, Iohannem Lauerum, proximâ æsta-
te, non sine pestis suspicione, in Nosocomio Academi-
co suburbano, quò ipse sese contulerat, obiisse memi-
nistis.

Eò

Ed felicior vero illo Fratrem suo, qui idiota mansit,
noster Taubmanus censendus est, quo meliorem insti-
tutionem, Vitrico procurante, fuit adeptus.

Is enim hunc privignum suum, quum annum ex-
egisset duodecimum, anno Christiano scilicet 1577.
mense Decembri, Culmbachium deductum, Musis &
Pietati illic loci, felicissimo auspicio consecravit; quam-
vis eo tempore ominari nemo potuisset, ex isto pauper-
culo & tum temporis rudi ac simplici puero, tantum e-
vasurum Virum. Ibat tum bonus Taubmanus cum
Vitrico suo, quò deducebatur, futurorum planè secu-
rus, Deo & Eventui omnia commendans. Admissus
in Rectoris Culmbacensis Museum, & examine ten-
tandus, pro aperta ingenuitate pectoris sui, hinc se Ho-
spitem, imò Patrem invenisse ratus, sarcinulam suam,
non sine suavi risu Rectoris, sub scamno recondebat,
tanquam ibi permansurus. Interrogatus de varijs, ita
respondit, ut quantumvis pro ætate, ob defectum justæ
ingenij culturæ, qua in vico patrio frui ei non licuerat,
minus expectationi fortè satisfecerit, semper tamen
& animi apertam ingenuitatem, & ingenij latentem,
& adhuc simplicitate quasi sopitam vim ostenderet.
Quis tum putasset, hunc puerum ita simplicem & ad-
huc rudem, tantum Latinæ Græcæque literaturæ vin-
dicem futurum? Solet interdum vis naturæ, quo ge-
nerosior est, quasi profundè aliquid in futurum
meditabunda, & intra sese magni aliquid fingens, in
annis aliquot primis latere quasi sopita, usquedum ido-
neam culturam naeta, apertius sese prodere valeat, &
ex segetis statim herbâ messis futuræ expectationem
insignem faciat. Et longè tales naturæ præcocibus
sunt nobiliores & durabiliores. Vivaciores creduntur,

B

quibus

q̄b̄ḡ J̄oub̄t
tardis enaſcitur

quibusdē t̄ardis enaſcitur, quibus præp̄-
perē. Prudentiores & in loquendo cautiores evadere ſo-
lent, qui ſeriūſ fari diſcunt: magis autem garruli & im-
prudentiores, qui citiūſ. Ingenia præcocia rarò ad fru-
gem pervenire, vulgato verbo dicitur: de maturis ſefe-
res habet ſecus, modò cultura juſta juſto tempore acce-
dat, ipſeq; puer ſibi non deſit. Quorum utroq; Taubma-
nus noſter ab eo die deſtitutus non fuit. Invenit enim ibi
ætari ſuæ culturam idoneam, qua non in diſcendo con-
fundebatur, aut quod apud nimiūſ doctos Ludimagi-
ſtros hodiè nimiūſ frequēs eſt, altioribus captu obrue-
batur; ſed methodicā manuſductione præceptorum af-
ſiduò plurimūſ juvabatur. Nec ipſe de ſua diligentia
quicquam remiſit, aut preces ad DEUM pro benedi-
ct̄ione ſtudiorum ſuorum omiſit. Et quanquam oſti-
atim panem quærere quotidie per paupertatem ipſum
oportebat; animo tamen ſemper eam tulit æquiſſimo,
ut qui meliorem vel lautioſerem vitam expertus antea
fuerat nunquam. Facile tolerant paupertatem, qui cum
ea nati & educati ſunt. Illis verò demūſ paupertas
gravis & moleſta eſt, qui à puericia molliter & delicatè
inter lautitias divitiarum, imò etiam in mediocritate
educati, in ætate ingreſſente, acriter egere & ſtre-
nuè eſurire coguntur. Quod ne experiamur, deprece-
mur omnes.

Neque verò quicquam Taubmano ad futuram
felicitatem obſuit, emendicatis particulis victiſſe.
Ipſe potiūſ de hac puericiæ ſuæ egeſtate ſæpiſſimè læta-
tus & gloriatus fuit, & piorum hominum eleemoſynas
animo grato prædicavit.

Neque fructibus caruit hæc paupertatis in annis
primis experientia. Ita enim & rebus ſuis contentus
eſſe,



esse, & luxum odisse, & quod optimum est, in DEO potius quàm causis proximis confidere, & alijs pauperibus condolere, ac pro virili subvenire Taubmanus didicit. *Ipsè malignarus, miseris succurrere novit.* Minirà ergò paupertas ei, vel ulli alijs reprobranda erit, quandoquidem tam præclararum virtutum & pietatis existit magistra. Recenset Aristophanes, ἀρχαίατῶν ille Comicus, in Pluto, Paupertatis commoda multa; sed Pietatis veræ culturam omittit homo ethnicus, quam Taubmanus noster inter primos eius fructus collocavit.

Nemo proinde juvenum paupertatem suam iniquis ferat, aut de lautiorē sorte desperet; modò pius sit, res suas agat, & DEO eventum commendet. Quem DEUS vult ad fastigium elevatum, cum iniuriò deprimat & humiliat; ut manifestò intelligat, se nihil habere quod non acceperit, & proinde non esse, cur superbire debeat aut possit. Sed ad alia pergo.

Confecit Taubmanus Culmbachij quasi quadriennium. Intra quod tempus, Deo benedicente, ita profecit, ut longè alius jam esset, quàm qui accesserat. Imò vis ingenij, culturæ idoneæ beneficio, multis argumentis sese prodens, spem de eo concitavit apud multos eximiam. Quumquæ circa illud ipsum tempus, anno videlicet Christiano, M. D. LXXXII. Illustrissimus Princeps ac Dominus, DN. GEORGIUS FREDERICUS, Marchio Brandenburgicus & Onoldinus &c. felicis recordationis, nunquam satis laudatam scholam Illustrè, Pietati & Virtuti aperuisset Heilsbrunnensem; in quam ex omni ditione sua optimæ indolis pueros conquirebat; noster etiam Taubmanus hoc nomine in illam fuit missus. Ibi jam Taubmanus, Taub-

B a

manus

manus esse demū verè incipiebat, & virtute sua Gratijf-
 que congenitis, omnium, non Præceptorum modò, sed
 & peregrinorum plurimorum oculos & animos in sese
 convertobat. In primis in Poësi ita proficiebat, ut su-
 pra vulgus Poëtarum longissimè excellere judicaretur;
 & notitia atque conversatio ejus, propter festivitatem,
 non affectatam, sed congenitam, à magnis quibusque
 Viris, certatim expeteretur, & omnia auspiciatissima de
 eo conciperentur. Christophorus Homagius, Sympa-
 triota & affinis meus, Decanus Svabacensis, Poëta præ-
 stantissimus, quem noster beatus cùm propter staturam
 corporis, tum propter Poëticam excellentiam, *Poëtam*
Magnum appellare solebat, Hominis ingeniosâ festivi-
 tate aliquando delectatus, suam, quam à Paulo Melisso
 acceperat, Coronam Lauream, joculario quidem, sed
 veraci, ut eventus docuit, omine, capiti Taubmani
 imposuit, & à gestiente gestari voluit. Non multò post,
 ipse Melissus, quem Noster *Poëtarum Aquilam* appellita-
 bat, unà cum Rhodomano olim nostro, una hora, vir-
 tutis ergò, Taubmanum Laurea, donavit & coronavit.
 Viderunt nimirum illi accurati ingeniorum æstimate-
 res, & agnoverunt in Taubmano nostro singularia &
 excellentissima DEI dona, quæ & favore suo, & hono-
 re illo excitare & augere studuerunt. Non enim erat
 in Taubmano tantum doctrina & assuefactio, sed natu-
 ralis quædam ad Poëticam svavitatem inclinatio, o-
 mnes Gratias ac Veneres secum ducens. *Natus erat*
fate, non factus ab arte, Poëta.

Quantum autem Naturalis δύναμις, Arte compa-
 rato habitui præstet, cùm aliunde, tum ex hisce Pinda-
 ricis liquet: Σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς Φυᾶ: μαθόντες δὲ, λάβροι
 παγγλωσσία κόρακες ὡς, ἀκροατῆα γδρῦειον. Et, τὸ Φυᾶ κάρ-
 ζισον

ἵστον ἄπαν: πολλοὶ δὲ διδασκταῖς ἀνθρώπων δρεταῖς κλέθ' ἀρ-
σαν ἐλέαθ. Εἰ, συγγρηῖ τις εὐδοξία μέγα βριθαι: ὅς δὲ δι-
δάκ' ἔχει, ψεφλωὸς ἀνήρ, ἄλλο' ἄλλα πρέων, ἔπο' ἀτρεκῆ κα-
πεθα ποδί, μυριαῖν δ' δρετῶν ἀτελεῖ νόω γεύεται.

Sic ergo felicissimo fato natus Poëta, & jam Lau-
rea donatus Taubmannus V Vittebergam auspicatò ve-
nit, Anno M. D. XCII. Academicis studijs ingenium u-
berius excolurus. Sed quod pauci facerent, eâ mode-
stia usus fuit, ut de Laurea sua per aliquot annos, donec
aliunde res innotuisset, verbum fecerit nullum. Quum
interea multi se Laureatos jaētarent, quos Larvatos po-
tius dixeris.

V Vittebergæ autem triennium & quod excurrit,
continuatum ita collocavit, ut eruditio ejus jam non
amplius sese intra Academicos fines contineret, sed in
tota passim Germania, & cūm alibi, tūm etiam in Illu-
strissimi Principis ac Domini, Dn. FRIDERICI VVIL-
HELMIP. m. Ducis Saxonæ & tum ProElectoris, &c.
Aniā admiratores inveniret, & favorem atque promo-
tionem promeretur. Quam ob causam etiam Poëti-
cæ & humanioris literaturæ Professioni, Academia no-
stra nominante, & dicto ProElectore approbante, feli-
cissimè præfectus fuit, anno supra M. D. XCV. die O-
ctobris XV III.

Cui quanta fide in decimum octavum usque an-
num præfuerit, nemini ignotum est. Sæpius in publi-
eis scriptis inculcavit juvenuti illud Dei effatum: *Ma-
ledictus qui facit opus Domini negligenter.* Idem & sibi
dictum æstimavit. Ideoque operas publicas intermit-
tere, nisi quantum vel valetudine, vel alijs causis son-
ticis impediretur, religio ei fuit. Quanta etiam cum
laude, bonorumque omnium approbatione, quantoq;

cum cōmodo publico, officio suo perfunctus sit, Exteri
æquè nobiscū sciunt. Erat ei id præcipuè propositum, ut
divinæ Poëseos penetralia Juventuti reseraret, Lin-
guam Latinam sinceram propagaret, & ex bonis Auto-
ribus illustratis comprobaret. Quod etiam egregiè præ-
stitit in Plauto, cujus Comœdias quæ exstant, publicè e-
narravit omnes, quemquæ superiori æstate denuò cum
Lucubrationibus suis eruditissimis; & nuper paucis die-
bus ante obitum in minore forma sine commentarijs,
publico bono correctum & emaculatum cōmunicavit.
Idem egregiè præstitit in Virgilio, quem totū Juventuti
prælegit, sed adhuc in pluteis retinuit, magno cum Li-
teratorum desiderio; propediem emissurus, si vita sup-
petijset. Quem præclarum tamen & utilissimum ejus
Laborem, ne reipublicæ literariæ diu invideant, Hære-
des primâ occasione operam dabunt. Quæ duo vel sola
monumenta, si vel maximè alia non essent, Taubmanū
Immortalem conservabunt, imò jam dudum famam ei-
us per totam Europam, & vicinas insulas, per Germani-
am, Galliam, Italiam, Bohemiam, Austriam, Hungariã,
Daniam, Angliam, & quò non? pervolare fecerunt.

Simul verò Taubmanus etiam in eo multus erat,
ut non tantum Solœcismos & Barbarismos, ex contagio
superiorum seculorum adhuc reliquos extirparet: sed
& lasciviam ingeniorum in obsoletis præter necessita-
tem, datâ operâ, ex κακοζηλία, & transmarinæ nescio
cujus eruditionis affectatione vel ostentatione luxuri-
antium reprimeret. Qua de re doctissima ejus exstat
Dissertatio de Lingua Latina, quam me primū Decano
in actu Promotionis Magistrorum, ex vicino hoc sca-
mno, ad Quæstionē Candidati respondens, præsentē Au-
gustissimo Principe AUGUSTO, Saxonix &c. Duce
Recto-

Rectore tum magnificentissimo, in hoc loco recitavit; postea verò auctam publici juris fecit. In qua vel sola sese acerrimum Latinitatis Genuinæ Vindicem ac Patronum abundè probavit. Quo nomine etiam ab Exteris celebratur.

Quantus Poëta & Philologus Taubmanus fuerit, quamque incomparabilis; res ipsa loquitur, & loquetur, potius quam ego potero. Malo hinc siscere, quam non satis pro meritis & dignitate dicere. Unicum dicam. Lumen nostræ Academiæ fuit clarissimum. Postera mirabitur æ. as. Quantus quantus autem esset; minimè tamen sibi soli sapere visus fuit; sed sæpissimè pro re nata, cum Collegis diversis, de rebus diversis contulit, & eorum sententiis audivit. Poterunt hoc testari alij de alijs; ego de Græcis, de quibus non rarò, non etiam parum, jam coràm, jã per literulas mecum egit. Ubi Viri in Græcis non vulgarem peritiam probavi, quicquid calumniosè dicat vel scribat aliquis Porcius Suius. Utinam autem, atque iterum utinam, diutiùs huic muneri præesse per Dei voluntatem debuisset: proculdubio cum maximo rei literariæ commo do factum fuisset. Sed transeo ad reliqua.

Memor Taubmanus noster, se non sibi soli natum esse, & suo etiam loco Ecclesiæ Christi membra aucturus, Deoq; in Cōjugio casto bona cū conscientia serviturus; proximo statim anno 1596. post demandatam sibi publicam modò dictam functionem, Conjugium meditatus est, & publicè nuptias celebravit die 18. Maij. Utque cætera omnia, ita & hoc piè & religiosè incundū judicavit, precibus piis ad Deum Coniugii autorem fuis, & Virorum honestorum cū aliorum, tum verò maximè Michaelis Reichardi, Oratoris olim nostratis, quècqu Patrem venerabatur, consilio usus. Elegit autem
fibi.

fibi Virginem moratissimam & honestissimam, labori-
busque domesticis assuetissimam, ELISABETHAM,
IOHANNIS MATTHÆI, civis olim hic honestissimi,
filiam, adeoque ex antiquissima & honoratissima Mat-
thæorum in hac urbe familia prognatam, in vicinia eius
loci, ubi tum habitabat, degentem, secutus Hesiodica

παραγέλματα,

παρθενικῶν γαμῶν, ἢ γ' ἤθεα κεδρὰ δίδαξε:

τῷ τε μάλιστα γαμῶν, ἢ γ' αὖτ' ἐγύθει νοεῖν,

πάντε μάλ' ἀμφὶς ἰδῶν, μὴ γείτοσι χάριμαται γήμη.

& nactus quidem quàm proximè Conjugium tale, qua-
le Proverb. 31. describitur, & Dominum timentibus à
Psalte promittitur. Nactus enim fuit Coniugem piam,
honestam, φιλόστοργον, obsequiosam, œconomicam, &
victui parando idoneam.

Nec fuit Leo in domo sua, sed Uxori cohabitavit
cum omni moderatione & mansuetudine: ut Conjugi-
um eius exemplis rarioribus meritò sit accensendum.
Ita nimirum benedicitur homo qui timet Dominum. Et suf-
ficere quidem posset eiusmodi Conjugij felicitas. Ve-
rùm in alijs adhuc duobus divina benedictio his Conju-
gibus clarè affulsit. Primum enim, Coniugium ipso-
rum DEUS, utriusque sexus Liberis beatum effecit, Fi-
lijs quidem, CHRISTIANO, FRIDERICO, & IO-
HANNE FRIDERICO, quorum medius Patrem in
locum communem præcessit, reliqui adhuc superstites,
Patris sui nomen tueri, indole præclarâ minitantur: Fi-
liabus verò ELISABETHA & MARIA MAGDA-
LENA. Hos suos Liberos, ἐυστοργεπάτως semper ama-
bat, & ad pietatem ac probitatem à teneris statim un-
gviculis assuefaciebat: ita singulare DEI donum gra-
tus agnoscebat, & animitus de ijs lætabatur, sæpenu-
merò

mero dicens, se immortalem aliquando moriturum.
Ita nimirum benedicatur homo qui timet Dominum. Deinde
verò etiam rei familiaris auctione Deus hoc concordis-
simum Coniugium beavit, ut Taubmanus noster, quan-
tumvis in paupertate natus & educatus Puer fuerit :
Virtamen, unde honestè viveret, & se suosque sustenta-
ret, DEO laboribus ipse benedicente, Principumque
munificentia accedente, haberet, & concordia Coniu-
gialis, (qua parvæ etiam res domesticæ crescunt, sicut
quantumvis magnæ discordiis & litibus dissipantur)
quin & pietatis in Novercam supra commemoratæ fru-
ctus uberrimos perciperet, & gratus humilisque agno-
sceret, se cunctis DEI beneficijs minorem esse. *Ita ni-
mirum benedicatur homo qui timet Dominum.*

Mores & conversationem Taubmani si percense-
re vellè, in ràm immensum me immitterem campum,
è quo quâ exitus aut reditus dari possit, vix appareat.
Tantus est exercitus Virtutum eius, ut si singulæ pro
merito exornandæ essent, dies non sufficeret. Faciam
ergò quod Pictores solent, qui immensam multitudi-
nem depicturi, quum singula individua integrè non
possint, capitum saltem vertices conspiciendos exhi-
bent, indeque multitudinem æstimandam relinquunt:
ita & ego capita tantùm Virtutum eius, nec tamen o-
mnia, sed aliqua saltem delineabo.

Erat Taubmanus noster humanus, affabilis, co-
mis, facundus, placidus, candidus, omnium horarum
homo, in ferijs gravis & serius, in alijs jucundus, & citra
omnem affectationem, quæ Stultorum index est, non
sine naturalibus quibusdam Gratijs ac Veneribus, libe-
raliter etuditeque jocosus, candido semper Mercurii,
nunquam nigro Momisale sermones suos conspergens,

Q

ant

3

aut dicaciter alios perstringens, vel mordaciter in-
stans, sed presentibus omnibus honestam hilaritatem
felicitate singulari concilians, ut non immerito, si non
Generis humani, saltem Virorum eruditorum, aut A-
cademiae nostrae DELICIAE appellari potuerit. Quo
nomine cum aliorum quorumvis, tum in primis Prin-
cipum multorum gratiam & amorem singularem pro-
meruit. Erat praeterea pro modo facultatum libera-
lis erga egenos, maxime Studiosos, quorum non pauci,
bene merendi & iuvandi studium eius sunt experti. Sa-
epe alicui opitulaturus, ipse aliunde mutuo numulos ac-
cepit. Erat & officiosus, cum in expediendis aliorum
negociis, tum intercedendo, tum commendando, tum
ad interrogata respondendo, tum modis quibuscunque
alijs.

Taceo Virtutes eius reliquas, quas omnes si per-
currere vellem, vel vestrae audiendi patientiae abuti, vel
Taubmani virtutes quasi paucas, & recensitu faciles,
minoris estimationis facere velle videri possem. Im-
mo & me tacente Taubmanus Vobis satis fuit notus;
Taubmanus inquam, cuius similem non tam spera-
re, quam optare nobis licet. Optat Agamemnon
apud Homerum decem Nestores, quorum prudenti
consilio & impigra opera uti posset. Nos si decem
Taubmanos, ah quid decem? si unicum Taubma-
num successorem haberemus; non esset nunc, quod
res literariae tam sollicitè Vindicem ac Patronum
quereret, vel nos eius similem vix dari quereremur.

Omnes autem Virtutes suas insigniores fecit
Taubmanus Pietate vera, quam diligenti Verbi divi-
ni auscultatione, lectione & meditatione, precibus-
que ardentissimis, & quotidiano exercitio satis abun-
d.

dè probavit. Atque hic locus à Pietate petitis, in Spiritus Sancti Rhetoricis, Commendationum præcipuus esse solet. Sine Pietate enim, reliquæ omnes non tam Virtutes sunt, quàm Virtutum colorem mentiuntur.

Quanta fide, dexteritate iudicii & solertia, anno ab hinc quinto, Rectoratum Academicum administravit, & ter Decanatum Philosophicum gesserit, scimus adhuc omnes. Quanto etiam affectu, Illustrissimi Marchionis Onoldini Alumnorum Principali auctoritate sibi commissorum commoda promoverit, ipsi grato animo deprædicabunt. Erat, ut paucis multa dicam, Taubmanus noster vir pius, vir doctus, vir prudens, vir beneficus & *τεταγών* undiquaque

Adversarios, aut osiores, aut inimicos hinc, quod apparuerit, habuit nullos. Quis enim tam amabilem odisse potuisset ingenium? Alibi tamen Poëtastrum unum aut alterum fuisse comperimus, qui quum alijs modis ex cœno suo emergere desperassent, Viri huius calumniis & insectationibus nomen sibi paratum iri cogitarunt. Nec mirum cuiquam sit, si Homerus suum habuit Zoilum, Hesiodus Cercopem, Pindarus Amphimanem, Virgilius Mævium; etiam Taubmanum habuisse suum Cacoëthem. Cuius tamen maledicentias Taubmanus noster non magis curavit, quàm Equus aliquis generosus Catelli Culinarij, aut Popinarij latratus; aut generosa Aquila Corvi crocitus, vel Graculi garritus. Et manebit Taubmani nomen, apud posteros Immortale, ubi Cacoëthes procubuerit Humi Sus, & nomen eius, unà cum cadavere, vino & cerevisia, dum inter vivos licitum erit, probè macerato, sub terra putrefactū erit ac deperditū. Eò levioris autē flocci

C 2

penden-



pendendi sunt eiusmodi Cacoëtheis unus & alter, quo
plures sunt & erunt Viri doctissimi in omnibus terræ,
quousque Musæ coluntur, angulis, imò & Principes Illu-
strissimi, qui Taubmani Poëtæ nomen, personam, la-
bores, virtutes, famamque amant, suspiciunt ac vene-
rantur, & Immortalem eum apud sese & posteros con-
servare student. *Facilis jactura duorum.*

Interim utut immortalitate ingenij & famæ Taub-
manus fruiturus sit perpetuò: æquè tamen atque alii
homines omnes humanâ, id est, mortali lege creati,
corporis-morti obnoxius fuit, eidemque obnoxium se-
se meminit semper, & ad eam sese piè-præparavit sedu-
lò, huiusque suæ præparationis mentionem fecit, non
tristem, sed spiritualis gaudij plënam, pro occasione
aliquoties. Sexta ante obitum hebdomade, quum in
nuptiali coena mihi affideret, admodum ominosè de
imminente sibi morte loquebatur. *Videbis, ajebat, non
diu à me mortem abfuturam. Ita sanè ex omnibus corpu-
sculi mei virium qualitatibus colligere necesse habeo. Nec eam
abhorreo quicquam; D E O meo, quocunque tempore me evo-
caverit, pariturus. Scio Illum meos non derelicturum. Ne-
que enim erat sublimis eius animus terrestribus affixus:
sed superna semper quærebat, ubi Christus est ad dexte-
ram Patris. Sciebat etiam, se eâ lege natum, ut ali-
quando Mundo huic valediceret, & πολιτευμα suum in
coelis quæreret. Ideoque εὐθανασίαν assidue D E U M fla-
gitavit. Quam & ex voto impetravit.*

Quum die XXVI. Februarij, Febri infestari cœ-
pisset æstivâ ac malignâ; nihil magis in votis habuit,
quàm ut, si D E O ita videretur, aut valetudini restitue-
tus officii partibus perfungi posset, aut in vera Christi a-
gnitione obdormiret, & ad desideratissimam cœle-
stem.



ſtē patriā ex hac peregrinatione terreſtri beatè trāſſet.
Acceſſerunt poſteā, ut fieri ſolet, ſymptomata alia, ea-
que graviffima, ut obſtructio alvi, & vigilia nimia, quæ
corporis vires magis magiſque afflixere. Quò violen-
tius autem corporis vires proſtratae erant; cō fortiùs &
Fides, & Patientia, & Spiritus alacritas invaluere. Te-
ſtes eſſe poſſumus *αὐτόπαι & αὐταξῆσαι*, qui decumben-
ti ſæpius adſtitimus, nonnulli & morienti; qui preces
eius audivimus ardentiffimas, & fiduciae in DEU ple-
niſſimas. Teſtes eſſe poſſunt ſermones pij, Spiritu San-
cto ſuggerente, ab ipſo prolati. Dicere poterunt alij,
quos ipſi audivere. Ego unum & alterum mihi auditos
commemorabo. In primo morbi impetu quum eum
inviſerem, & benè ſperare juberem, meaſque & aliorum
piorum preces ad DEUM ipſi promitterem: *Omninò, re-
ſpondebat, illa ſunt, quæ DEVM expugnant. Fac ut di-
xiſti tu, cum alijs bonis. Non herba aut malagma me ſana-
bit, ſed Domini verbum. De Medicamentis dudum de-
ſperavi. illa nihil facient, videbis, niſi DEVS peculiarem ad-
dat benedictionem.* Ita nimirum à ſolo DEO pende-
bat, & quantumvis medicamenti uteretur, à DEO tamen
ſalutem per illa exſpectabat. Alio die quum accēſ-
ſem, & morbum invaluiſſe vidiffem, exhortabar eum,
quod Chriſtianos decet, ad Patientiam, & Deum fidelem
eſſe ſuggereram; qui non ſinat nos ſuprà vires noſtras
tentari, ſed ira tentationes moderetur, ut ferendis ijs
per gratiam divinam pares eſſe valeamus; Reſponde-
bat, *Ab omninò, omninò fidelis DEVS eſt. Fidelitatem
eius jam ſatis abundè perſpexi antea, ut de ea dubitandi cau-
ſam non habeam. Faciat ille mecum ſecundum voluntatem
ſuam. Ich hab den lieben Gott nun gnug probiret mein
Lebenslang / Er wirdt mich jezo nicht verlaſſen.* Et in hanc

sententiam plura loquebatur alia, Patientiæ Christianæ & fiduciæ in DEUM plenissima. Unum adhuc addo, mihi quidem ex ipso non auditum, sed præsentè Reverendo Domino D. Friderico Baldvino Pastore ac Superintendente prolatum. Is quum cum vespera illa, quæ noctem obitus eius præcedebat, invisens interrogasset, Quid nã ageret? respōdit: *Hic jaceo, & luctor cum Domino meo IESU Christo ad exemplum Iacobi, non dimissurus eum, donec anima mea benedicat.* O beatam luctam, ad quam convenientibus armis instructus aliquis accedit, Fide nimirum & Patientia. His solis vincitur DEUS invictus. His solis etiam Taubmanus vicit, colluctatus cum DEO Israëliticè per totam illam noctem usque ad auroram, circa horam quartam matutinam diei XXIV. Martij, quo die ut & pridie Philosophica festivitas Promotionis, cuius tempus ominoso quodam desiderio sæpius exoptaverat, celebrabatur.

Præcessit obitum eius signum aliquod non contemnendum aut silentio involvendum. Cur enim quod Deus homines dilectos præmonens facit, præconio indignum judicaremus? Inter primos statim dies morbi sui, manè expergefactus, visus est sibi videre prope lectum suum arcam oblongam, & in ea virum sibi similem jacentem. Quumq; initio deceptionem visus aut imaginationem inanem esse putaret, elevato capite prodigiū attentius aspexit, & rem sese aliter non habere deprehendit. Quo tantum abest ut exterritus fuerit, ut potius animo hilariore aliis referret, & præmonitionem divinam agnosceret. Cui eventus etiam nimis verè respondit. Dicto enim die XXIV. Martij circa horam quartam matutinam sub aurora, benedictionē à Iesu Christo colluctans

ante, Fide & Patientia iam victo adeptus, inter ardentissimas preces beatè exspiravit, & ad coelestem Palæstinam transijt, corpusculo suis arcæ cōdendum relicto.

Atque ita beatissime Taubmane, cui nunc præter ultimum Vale dicere nihil possumus, Tu coelestem patriam repetijsti, Nos in hoc orbe tristi & malitioso reliquisti. Tu, qui Nestoreos annos vivere eras dignus, heu præproperà nimis morte es abreptus. Quæ si decrepitum sustulisset, fortè non esset, quod nunc Serenissimus Elector Poëtam clarissimum, Academici Patres Collegam charissimum tantoperè desiderarent; Res literaria Vindicem amissum ingemisceret; Vidua maritum; Liberi orbi Patrem lugerent. Iam verò postquam adeò intempestivo fato, anno ætatis XLVIII. ad finem currente, à media quasi telâ operarum tuarum aurearum ablatus es, etsi tecum quidem actum est præclarè beateque, nec beatitatem tuam tibi invidemus: Nobis tamen inde publicus & privatus dolor haud vulgaris est exortus. Habet quod doleat Aula Illustrissima; habet Academia; habet res literaria habet Vidua; habent Liberi; habent boni quique. Eoque magis quod dolcamus, habemus, quò pauciores reperientur, etiam omnibus angulis Germaniæ excussis, qui Te repræsentabunt, & quò infauitiora obitus tuus nobis minatur. Solent nascendi tempora à nonnullis considerari, & omnia inde peti. Natus fuit Pindarus in ipsa solennitate Pythica; quod pro omine singulari laudum Apollinis & ludorum Pythicorum Plutarchus interpretatur. Natus fuit Alexander Magnus ea ipsa nocte, quâ templum Ephesinum fulmine tactum, ignibus globatim circa ædificium volitantibus exustum fuit; ubi Sacrificuli Dianæ quasi furiosi discursantes

320 sup

santes clamitarunt : *Magnum Ave malum ea nocte
natum esse.* Quod omen Alexander Magnus Anæ victor
postea comprobavit. Quid si potius moriendi tempo-
ra notarentur? Obijt Beatus Lutherus die Concordiæ.
Quam ominosè, nimis verè res loquitur. Obijt noster
Taubmanus in ipsa solennitate Philosophica, cujus di-
em durante morbo sæpius desideraverat. Quid si cla-
des rei literariæ obitu ejus indigitata esset? quam par-
tim contemptu ingrato, partim sinistra tractatione
Lingvarum eruditarum haud pauci non tantum nobis
minantur, sed & quantum in se est, vi quasi magneticâ
quadam attrahunt.

Fuit superiori seculo Lingvarum studium refor-
mandæ doctrinæ Ecclesiæ prodromus auspiciatissimus,
à Poëtis præcipuè non sine instinctu divino emissus, qui
etiam hoc nomine ab obscuris fratribus odiosè tradu-
cebantur. Eo ipso via quasi doctrinæ Evangelij fuit stra-
ta & præparata. Hoc nunc quum multis tordeat, vel
saltem ut parum utile aut necessarium frigidiusculè tra-
ctetur, & multi jam ab hisce adminiculis parum instru-
cti, ad Sacrosanctam doctrinam cœlestem illotis mani-
bus tractandam irreligiosè proruant; quidni ominemur,
sed utinam frustra ominemur, tenebras Religio-
nis post lucem hanc clarissimam secuturas esse, quum ca-
dant illi, qui eruditarum Lingvarum Vindices esse po-
terant; nec faciliè appareat, unde jactura restitui possit.
Ideò Senes de porta cessaverunt, & Juvenes à cantico
suo. Cessavit gaudium cordis nostri; Versus est in luctum
chorus noster. Cecidit, cecidit corona capitis nostri.
Væ nobis quia peccavimus. Propterea moestum fuit
cor nostrum. Propter ista obtenebrati sunt oculi nostri.
Fuit, ah fuit, dolor, Taubmanus unus ex ijs, in quos
quadrat

quadrat illud; *Ecce quomodo moritur justus, & nemo considerat: Viri justi tolluntur, & nemo attendit: à facie iniquitatis sublatus est justus.* Quis scit, quid mali nobis immincat? cujus immunem suum fidelem cultorem Taubmanum voluerit facere Deus?

Sed ut ut moereamus, lugeamus, & plangamus: Nulla tamen ratione beatum nostrum Taubmanum revocaverimus: nec ipse ex beatitate coelesti, in quam translatus est, iterum in terrestres has misérias detrudi optarit. Quin potius luctu mediocri, quem non defunctorum nostrorum causâ, sed affectu humano ita exigente edimus, contenti simus, & nos quoque ad beatam ex hac Mundi Lerna emigrationem piè præparemus; Deumque oremus, ut Viduam Liberosque moestissimos Spiritu sancto suo efficaciter consoletur; & cum doctrina Ecclesiæ salutari, etiam involucra ejus, Artes & Lingvas eruditas, earumque cultores & doctores benignè conservet, ut eorum opera in Ecclesiâ & Republica, & in omnibus Facultatibus Scholastici status, diu frui nobis liceat, jacturamque Taubmani, ut de Successore gaudere possimus, ex voto rependat. In primis, ut Magistratum nostrum clementissimum, in vera Religione, cum perpetua Pace, Sanitate, & omni *ὑπερβολῇ*, in solatium Ecclesiæ suæ diutissimè conservet, precibus ardentissimis, ex poenitente corde profectis, assiduè contendamus & flagite-

mus.

D **RECTOR**

VVOLF GANGUS FRANZIUS,
SS. THEOLOGIÆ DOCTOR, ET
PROFESSOR ORDINARIUS, TEM-
PLIQVE ARCIS PRÆPOSITUS.



*Et iustissimam juxta & laudatissi-
mam fuisse inter gentes non prorsus inhumana-
nas ac barbaras consuetudinem, tum solenni
apparatu & pompâ inhonestandi defuncto-
rum exequias; tum certo temporis intervallo
justa illis persolvendi ac parentâdi; ex Histo-
ricorum & Poëtarum lectione manifestius est, quàm ut pluri-
bus debeat à nobis commemorari. Ejus verò honoris pars non
postrema fuit defuncti, mediocri adhibitâ commiseratione,
laudatio, qua illius virtutes, & dicta factaq; egregia, adeoque
totius vite cursus recensebatur, & felicitas decantabatur. Et-
si enim nullum ex ijs rebus emolumentum ad defunctum per-
venire noverât: Tamen & æquum justumq; judicabant ani-
mum erga præclarè de se meritos memorem gratumq; modis o-
mnibus declarari, eorumq; virtutes non solum presente; verù
etiam è conspectu ablatas coli: Et in exemplo momenti cense-
bant inesse plurimum, ut tum pudore inhonesti funeris malorù
improbitas coërceretur; tum honoris ultimî desiderio ad virtu-
tis studium bonorum incenderetur alacritas. Nominatim ve-
rò hac in parte laudatur Atheniensium institutum, qui non so-
lùm indignos honoribus existimabant eos, qui debito obsequio
& observantiâ parentes non colebant suos; utpote quos neque
sacrificia piè facere, neque aliud quicquam honestè justèq; age-
re posse crederent: sed in Magistratum quoq; electionibus, si
quis Parentum sepulcra nò ornaret, diligenter investigabant.*

Ex


Ex hoc fonte manasse in Ecclesia videtur dierum festorum celebratio, sancita initio partim ad conservandam hominum, sanctorum, quibus alter quasi natalis fuerat beata ex hac vita erumnosa ad caelestem emigratio, memoriam; partim ad predicandam aeterni DEI bonitatem, qui per defunctorum ministerium singularia in genus humanum contulisset beneficia; partim denique ad provocandos ad eorum imitationem superstites. Sed quod in plerisque alijs rebus bonis ac laudabilibus solet evenire; idem in hoc etiam honorum genere videmus factum. Nam ut gentilium taceamus ambitionem, qui arduo & operoso monumentorum honore, aut magnifico ludorum conviviorumq; apparatu non tam defunctos honorarunt, quam viventes ita onerarunt, ut profusione nimia ad inopiam multi redacti fuerint; Quis superstitionem ignorat ab his initijs in Ecclesiam introductam, & in annos propè singulos cumulata, qua res eò tadem redijt, ut immodicè aucto dierum festorum numero, ocium illud non ad res sacras, DEOq; gratas, & hominibus salutes converteretur; sed ijs rebus, quas majores etiam Ethnicis vicio verterant, consumeretur. Imò tantum absuit, ut ad DEI gloriam, hominum piè quondam mortuorum memoria & celebratio conferretur, ut ad summam quoque divini nominis contumeliam, dedita operâ dirigeretur. Non enim veriti sunt quidam scribere: Honorandos sanctos, ut quã per nos salutem habere non possumus, eam illorũ intercessionibus adjuti mereamur; per sanctorum gloriam, quæ in ipsorum festivitatis proponitur, nostram alendam augendamq; esse spem & securitatem: Si enim mortales homines nobis similes ita potuerunt per sua merita sublimari; non esse cur idem nobis eventurum desperemus. Reddendum Sanctis debitum mutuae vicissitudinis, ut qui de nobis festum agunt in caelo, de ijs festum nos agamus in terris. Sed his verbosius exponendis intempestivum nunc fuerit di-

tius immorari. Nos gratias agamus eterno D E O immor-
les, qui superiore seculo ab his quoque dierum male-feriato-
rum sordibus harum regionum Ecclesias repurgavit, excita-
tis in hac potissimum Academia iis Viris, quorum nomina
& merita perpetuo gratia predicabit posteritas. Illorum
vero in locum cum divina nos suffecerit gratia, quemadmo-
dum aliis in rebus, ita in hoc parentandi officio equum pium-
que censemus nos eorundem, qui recto nos itinere praeceperunt,
sequi vestigia. Nam & illi habuerunt, quorum hac in par-
te imitarentur exempla, Aegyptiorum scilicet piorum deslen-
tium Jacobum Patriarcham defunctum septuaginta diebus,
Israëliitarum deslentium Aaronem mortuum, triginta die-
bus, eorundem Israëliitarum deslentium Mosem. itidem tri-
ginta diebus, utique non tam ejulatibus, quam orationibus
funebribus, quae exempla Syracbi filius in suis posterioribus
doctrinis suo tempore amulatus fuisse videtur. Quamob-
rem cum supremum nuper pietatis & humanitatis officium
TAVBMANO heu! quondam-NOSTRO, pro virili in-
summo luctu praestiterimus, exuviis illius Christiano ritu ter-
ra omnium matri commendatis: Parentationis nunc ho-
norem, D E O propitiante, addemus. Cum enim praema-
turam illius mortem non tantum nostri ordinis hominibus,
apud exteros juxta ac vicinos, sed Principibus etiam Viris,
qui viventem summam gratiam clementissimè complexi sunt,
peracerbam accidisse certissimum sit: Turpissimum profe-
cto foret, nostro nos officio deesse. Cum ergo Vir Claris-
simus M. ERASMVS SCHMIDT, Graecae linguae Pro-
fessor P. Electoralium alumnorum Inspector, & Collegij Phi-
losophici pro tempore Decanus spectabilis, Collega noster ho-
norandus, noster in hoc opere interpret, TAVBMANI lau-
dationem funebrem ad diem Martis proximum, hora NO-
NA in auditorio Collegij novi Majore publicè sit pronuncia-
turus;

turus & id Civibus Academicis significandum censuimus:
Certâ cum spe, quemadmodum exequias Taubmanicas tan-
to illo numero cobonestarunt, quantum à multis annis vix vi-
sum plerique meminerunt: ita ad banc etiam parentatio-
nis Panegyriin præsentia suâ celebrandam, etiam absque no-
stra cohortatione frequentes eosdem conventuros, suamq; er-
ga defunctum affectionem promptissimè declaraturos.
P. P. d. XIIIX. April. anno Cbristi M. DC. XIII.



D 3 EPICE-



E P I C E D I A.

Poëtarum nostri seculi
immortali

*Collega meritissimo mærens hoc inge-
micebam.*



Uàm vellē, *TAVBMANE*, tuas attingere laudes,
Sufficeret votis si modò lingua meis!
Quàm cuperē tibi pro meritis persolvere justa,
Si justis facerent hæc modò dicta satis!

TAVBMANE, in cuius residebant pectore Musæ
Plautinæ, in cerebro Pallas, in ore Charis.

Frons tua spirabat gravitatem, lumina pacem,
Eloquium nectar, vox tua fulmen erat.

Laurus obumbrabat tibi tempora, labra movebat,
Cum Sophia Candor, cum pietate fides.

Quis tua nunc vates vestigia ponet ad Albim ?

Quis poterit cathedram voce animare tua ?

Nemo futurus erit; nisi tu redivivus; ab astris

Ni tua mens alij; nemo futurus erit.

Quis poterit tibi par componere gaudia verbis ?

Exhilarare omnes? conciliare Duces ?

Hinc tibi prompta Ducum clementia, prompta virorum
Gratia Doctorum, promptus & Orbis amor.

Te

I etamen adripuit mors, oris invida magnis,
Ne Plauti genitor, Virgilijque fores.
Sed bene! Plautino vives in dramate, vives
Virgilio, qui à te in carmine lumen habet.
Scripta perennabunt tua, totum clara per orbem:
Religiosa fides te super astra tulit.

TOBIAS TANDLERVS D. Med.
Profess. public.

A L I U D.

Quantum Marone gloriatur Mantua,
Nasone Sulmo, Propertio Mevania,
Verona te Catulle, Bretta Melanchthone;
Tantum ANE, tantum Civete VVONSIVM,
Maronis ac Nasonis, & Propertij
Æmule Catulliq; unice, & Melanchthonis.

IOHANNES VVANCKELIUS Collegæ
desideratissimo,

F I N I S.

7/126

I certamen...
No Pauli...
Sed bono...
Vigilio...
Scripta...
Religiosa...

TOBIAS KANDLER
Prof. publicus

A L I U D

Quantum...
Vigilia...
Tatiana...
Antonius...
Annale...

IOHANNES VAN...
Collige...

F I N I S

M



Pan. Zf 126 24

ULB Halle 3
002 679 248




- VDA7





Q.k.9

OR
F R I D E
 P O E T Æ E I
 parabilis
 M
 a. d. x x. A P
 N
 M. E R A
 Græc. Pr
 Cui adj
 I 6
 WITTEBERG



TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



Z 8
126

